



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti
Ethicorum**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1583

VD16 ZV 20638

De Institutvione Et Approbatione.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

tum hoc modo colligere aeternam Ecclesiam, & hoc modo verè efficacem esse, iuxta illud: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item, Euangelium est ministerium Spiritus. Hac prorsus aliena sunt à potestate.

Quarto, differunt modo executionis in pœnis. Etsi autem oportet utramq; potestatem habere ius coercendi: tamen hoc discrimen est, magistratus politicus coercet vi corporali, Sed Ecclesiastica potestas tantum punit verbo, scilicet legitima excommunicatione. Hac discrimina semper in conspectu sint, & norit utraq; potestas sui muneris metas.

II. Membrum. Responsio ad *III. Membrum.* *probo hanc.* *missit. si ad 20. Luc. 22.* *antiquum.* *Luc. 22.* *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, id est, non volo constituere imperia per ministerium Euangelij. Quod autem multi Episcopi vel Pastores habent iurisdictionem politicam in aliquibus locis, habent eam donatam auctoritate humana, ut multi alij patres familias habent talem iurisdictionem in suis prædijs, quæ habet suas metas, ut notum est.*

II. Membrum. DE INSTITVTIONE ET APPROBATIONE. *Post*

Postquam discrimina ostensa sunt, iam de v-
triusq; institutione dicam. Perspicuum est in no-
uo Testamento Evangelij ministerium expressa
voce Filij Dei institutum esse, cum dicitur, Si-
cut misit me Pater meus cœlestis, ita ego mitto
vos. In veteri Testamento etiam expressa voce
summus Sacerdos ordinatus est, & totum Leui-
ticum sacerdotium constitutum. Item, expressa
voce Propheta vocati sunt, & addita sunt mi-
nuta, ut testarentur id ministeriū, diuinum esse.
Sic & antea Patres, quibus nominatim promissio
imendata est, vocati sunt ad hoc ministeriū, ut
Adam confirmatus illustribus miraculis, scilicet
colloquio Dei, liberatione ex morte, & inflāma-
tione victimarū facta de cœlo, &c. & haud du-
bit alijs multis. Sic deinceps alij, ut Abraham,
cuius coniunx effœta, in senecta peperit. Nec du-
bitum est, hos prorsus eodem modo fuisse guber-
natores Ecclesiæ, & vocatos expressa voce à
Deo, ut vocati sunt Apostoli,

Ac opus est in ministerio Evangelij expressa
institutione, expressis mandatis et miraculis, quia
promissio illius admirandi & æterni beneficij in-
puta est rationi, & reprehensio idolorum, quæ
mandatur ministris Evangelij, plerunq; pugnat
cum imperijs & ordinaria potestate. Ideo oportet
sciri, expressa voce Dei constitutum esse
hoc ministerium, dissentiens ab imperijs, &

verissimo dicto confirmata est potestas Ecclesiastica: Qui vos spernit, me spernit, Quo dicto non additur eis potestas extra Euangelium, sed tantum ita præcipitur obedientia, cum sonant vocem Euangelij.

De expressa politica potestatis institutione.

Nervus potestatis politica præcipuus & summus est, supplicium capitale, quia & mors tãdem audaciam compefcit, & alij metu mortis præcipue coercentur. Hæc etsi vera sunt, & ratio legem natura intelligens, videt æqualitatem esse, cum vita eripitur homicida, tãmen homo modestus non auderet interficere hominem, etiam sortem, si non sciret, se cogi mandato diuino. Querendum est igitur mandatum, quod talis potestas vel auctoritas expresse à Deo, vel instituta vel confirmata est.

Non dubium est autem, expressam esse institutionem huius potestatis in mandato, quod Non traditum est Gen. 9. Quicumq; fuderit humanum sanguinem per hominem fundetur sanguis ipsius, quia ad imaginem Dei factus est homo. Vbi in interpretatione Latina deest particula, per hominem, quæ extat in fontibus, & nequaquam omit-
tenda est, quia hoc ipsum vult textus, tribui autem

uitatem homini, scilicet ordinato ad gubernationem, vt homicidam vicissim interficiat.

Est autem, vt dixi, pœna capitalis summus status politica gubernationis, & complectitur ceteros gradus pœnarum et causarum, Ita statim post diluuium expressa voce Dei, instituta & sancta est politica gubernatio, Deinde quamquam lex Moyse vni populo lata est, tamen voluntatem Dei ostendit. Hæc autem expressè ordinat magistratus & pœnas, vt Exod. 22. Principi populi tui non maledices. Deut. 5. Constituantur potestates, iudicia & pœnæ, & seuerissima vox additur; Nō miserearis eius, sed auferas malum de medio tui, vt audientes cæteri timeant.

Cum autem ibi expresserit Deus suam sententiam, certissimum est, similem ordinationem ei in toto genere humano placere. Imò sæpè alias dicitur vox diuina ordinem in imperijs esse opus Dei, & Deo iuuante conseruari, vt Daniel inquit: Deus transfert & stabilit regna, Item in cap: 8. Proverbij dicit sapientia Dei: Per me reges regnant. Item, Libra & pondus iudicia Domini sunt, & omnes lapides & pondus iudicia Domini sunt, & omnes lapides sacculi, id est, Deus est autor, conseruator, defensor totius ordinis Politici. Et clarissima concio est Pauli ad omnes gentes, quæ testatur diuinitus approbari et iuuari politice gubernationē, Roma. 13. vbi addit & hanc
sen.

sententiam: Neesse est obedire non solum propter iram, sed propter conscientiam.

Cum igitur sciamus expressa voce Dei institutam & confirmatam esse potestatem politicam, firmissimè statuamus, Deo debitum esse officium obedientiam, quæ legitima potestati præstatur. Multi frigidius loquuti sunt, qui dixerunt, politicam potestatem ideo valere, quia intellectus legis & ordinis in homine, sit opus Dei. Hoc est verum est, tamen magis conspicitur autoritas gubernationum, cum ostenditur expressa institutio & confirmatio potestatis. Ac vocem suam Deus ideo addit, ut utrosq; erudiret de sua voluntate, gubernatores & subditos.

De discrimine edictorum civilium, & traditionum, quæ condita sunt humana autoritate in Ecclesia.

Differunt latrocinium & magistratus. Nec rectè dixit Pirata ad Alexandrum: Cur tibi licet in terra prædari, mihi non licet in mari? Nam latrocinium est destructio ordinis diuini, & dissipat communem societatem, nec peccat, qui latroni poscenti pecuniam non dat, sed elabitur, aut reprimat eum, cum potest. E contra verò ordinarium, & legitimum imperium est conseruatio ordinis diuini, & fouet communem societatem, et

peccat, qui magistratum imponentem onus legitimum fallit, aut eum impedit. Hæc perspicua sunt Rom 13. ex dicto: Necesse est obedire propter conscientiam.

Et quoniam duo sunt genera legum politice potestatis: Aliæ sunt simpliciter diuinæ, ut: Non occides, Non mæchaberis, Non furtum facies, quæ ut dictum est, magistratus primum sit vox & executor Decalogi in externa disciplina. Aliæ leges sunt ab ipsis probabili ratione conditæ. Verum est enim, politicos magistratus habere potestatem condendi leges probabili ratione, quæ sint determinationes aliquarum circumstantiarum in legibus diuinis seu naturalibus. Tamen sciendum est utrisq; deberi obedientiam, & utriusq; generis violationes peccata esse.

Sed de potestate Ecclesiastica sciendum est, mandatum Dei esse, ut doceat Euangelium, & administret Sacramenta, & deberi ei obedientiam in his, quæ sunt iuris diuini. Cæterum nullam creaturam posse noua dogmata de Deo gignere, aut novos cultus instituere. Sed oportere nos intrinsecas doctrinæ à Deo nobis commendatæ manere, iuxta illud: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit, Ideo refragari necesse est, cum alia dogmata et alij cultus proponuntur, Sed Pastores boni ordinis causa distribuere lectiones & tempora, & similia quædam possunt. Hic tamen re-

tinen

timenda est sententia, tales ritus, nec iustitiam,
nec cultus Dei esse, nec violationem extra casum
scandali, peccatum esse, iuxta illud: Nemo vos
arguat in cibo aut potu. Hac libertas maneat
in Ecclesia, nec in alterutram partem vinculis
conscientijs injiciantur.

Politicae potestates legibus obligantur con-
scientiae, sicut dictum est, quia Deus hoc ita san-
xit. Et vult hoc modo vitam hominum corporalem
regi. Econtra potestas Ecclesiastica, non obli-
gat conscientias proprijs legibus, quia hanc liber-
tatem Deus sanxit. Et ministerium est, proprie
non pertinens ad vitam corporalem. Hoc discrimen
legum civilium & Ecclesiasticarum perspicuum
est. Gerson longè alias rationes astrigendi &
laxandi quærit, quibus conscientia magis
turbanur et illaqueantur. Hac explicatio quam
recitavi, vera & perspicua est.

Capitulum
de iudicibus
iudicibus

Iustene mandavit Nehemias, ut Iu-
dæis Iudæi reddant vsuras
centesimas?

In secundo libro Esdræ mentio fit vsurarum
centesimarum, de quibus & in Græcis & Roma-
nis legibus sæpè dicitur. Prodest igitur, enarra-
ri vocabulum, & considerari antiquitatis con-
suetudinem.

Initio autem ipsum nomen *usuræ* definiatur:
Usura seu *foenus*, est lucrum supra sortem exactum, tantum propter officium mutationis. Nam cum debitor efficacem causam damni det, accessio non *usuraria* aut *illicita*, quæ est damni compensatio. Sed illa accessio est *usuraria* et *illicita*, de qua paciscitur aliquis propter officium mutationis, etiam cum debitor non det efficacem damni causam.

Hac definitio cognoscenda & dextrè intelligenda est, ut postea leges & rationes, quæ prohibent *usuras*, rectè intelligantur. Sic enim expressè dictum est, Deut. 23. Non fœneraberis fratri tuo pecuniam ad *usuras*. Item, Fratri tuo absq[ue] *usura* dabis mutuo. Item in Psalmo. Qui pecuniam ad *usuram* non dedit. Et Christus inquit: Mutuum date, nihil inde sperantes. Nam cū ait: Mutuum date, non iubet donare, sed sortem vult reddi. Alioqui enim non esset mutuatio. Et Evangelium nequaquam tollit legitimos contractus, sed lex ibi repetitur, quæ prohibet aliquid ultra sortem postulare ratione mutationis. Hac testimonia ostendunt, lege diuina prohiberi petitionem *usurarum*. Hac confirmati auctoritate, postea & rationem naturalem consideremus.

Vniuersaliter Deus in contractibus necessarijs seruari vult æqualitatē, nec vna parte exhausta, altera necata saginetur altera. Et quidem hanc
 ob

ob causam sanxit Deus aequalitatem, ut non
 monefaciat, in ipso etiam iusticiam aequalitatem
 esse, iam in usuris non seruatur aequalitas, quia
 una pars multò plus recipit quàm dedit, ut damus
 mutuo, recipit sortem, quæ est æqualis mutuo.
 Deinde amplius accipit pro nihilo, scilicet usuras,
 & interdum magnas. Non igitur seruatur
 aequalitas, sed una pars exhauritur, ut res ipsa
 ostendit, omnibus temporibus exhaustos esse multo-
 tos homines fœnore, & sæpè totas gentes ad mis-
 eriam redactas. Plerumq; enim accidit, ut sine mo-
 do cumulentur usurae, quod cum fit, necesse est al-
 teram partem exhauriri.

Etsi autem, ut dixi, lex diuina prohibet pec-
 cisci, petere & accipere usuras, seu magnas seu
 paruas, tamen gubernatores Ethnici, cum non
 possunt eas omninò prohibere, leges tulerunt de
 earum moderatione. Et leges Græca & Romana
 permisissent singulis mensibus de centum pendere
 re vnum, & de centum florenis vno anno duode-
 cim aureos, Hac usura nominatur centesima apud
 Græcos & apud Latinos, quia centesimo mense
 æquat sortem, & hunc numerum, videlicet cente-
 simam usuram nominant assen usurarium.

Raro autem auaricia fœnatorum centesima
 contenta fuit. Ideo lex sæpè renouata est, ut tan-
 tum centesima solueretur sicut Lucullus, Cicero,
 Iulius, Augustus, hanc legem renouârunt. Appa-
 ret

ret autem ex Nehemia hanc ipsam legem de centesima, & in imperio Babylonico ac Persico in usum fuisse, ac iubet Nehemias reddi centesimas, quia lex diuina prohibet Israëlitas ab Israëlitis accipere vsuras. Hæc narratio veteris consuetudinis lucem affert dicto in libro Esdræ. Sequitur ergo conclusio. Cum vsuras accipere iniustum sit, restitutionem, quando possibilis est, facere necessarium est, quia donec aliquis sciens & volens retinet res alienas, tantisper manet fur seu raptor. scriptum est autem à Paulo: Qui furatus est, deinceps non furetur. Hinc regula sumpta est, quæ vera est dextrè intellecta de restitutione faciendâ hominibus, qui iniuria affecti sunt: **Peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur.**

An vsitatus contractus, in quo emitur fundus aut redditus, cum pacto de reuendendo, sit licitus, aut an sit vsurarius?

Anno 1525. alicubi classicum seditioinum erant homines indoctorum, qui vociferabatur sine discrimine, redditus qualescung, vsuras esse. Aduersus hunc errorem necesse fuit docere saniores de discrimine mutuationum & emtionum, & ostendere quæ sint vsuræ, & quæ non sint, quia nequaquam vsura, vel vsuræ similis est ager, vel redditus ex agro emtus, si sit vera emtio, & discrimina sit vera & nequaquam sophistica. Ideo, vt aduersus periculosos errores, & contra seditioinum

K classica

classica muniantur studiosi, aliquid de contrahentibus dicendum est.

Primum autem hic sciendum est, tres formas esse contractuum redemptionis, de quibus disputamus. Prima forma est, quando emitur certus fundus cum pacto de reuendendo: Secunda forma est huic similis, quando emitur certus reditus in fundo certo. Hæc duæ formæ sunt veræ emtiones. Quare hi contractus non sunt usurarij. Nam iura accidunt mutationi, nõ accidunt emtioni. Non est usura, cum fructus agri, quem usitato emtor precio, superant precij summã, propter diuturnitatem possessionis. Nec usura est, si emtor agrum rursus vendam illi ipsi, à quo emi.

Sed hic disputatur, an talis contractus sit vera emtio. Videtur enim conditio de reuendendo impedire, quo minus emtor verè dominus fiat, cum non liceat ei rem transferre, sed in potestate venditoris est, eam ad se retrahere. Ideo aliqui contendunt, hos contractus tantum esse usurarias mutationes cum oppignoratione, & simulatas emtiones, quia venditor potest rem venditam ad se retrahere. Hæc obiectio etsi speciosa est, tamen formæ duæ, quas recensui, & mox declaraturus sum, veræ emtiones sunt, & contractus legibus confirmati.

Priusquam autem legum testimonia & rationes recitabimus, obiectio refutanda est. Conditio

de reuendendo non tollit naturam dominij, nec prohibet, quo minus emtor verè sit dominus, ut si quis verè Dominus ædium suarum obliget se ad eas ad nullum alium translaturum esse, nisi aliter, siue donatione, siue venditione, is tamen manet tantisper verè Dominus, quanquam non potest transferre ædes ad alium. Ita docet Iurisconsultus ff. de verb. oblig. l. ii. a quis ea lege, vbi dicitur: Seruum donatum esse hac conditione, ne ad alium transferretur, tamen ille verè est eius serui dominus.

Ac ut magis perspicuum sit tales contractus verè emtiones esse, substantialia emtionis considerentur, merx, precium, consensus. Merx est autem fundus ipse, qui emitur cum pacto de reuendendo, aut ius accipiendi redditum, quod fundatum est in fundo certo. Vt enim potest emi iuste seruus, videlicet iter vel actus in alieno agro: Sic iuste potest emi ius accipiendi certos redditus, sed non, si ius in fundo certo constitutum sit.

Denique hæc duæ formæ priores sine vlla dubitatione, nisi deprauentur, veræ emtiones sunt. Ideo & expressa probatio extat in L. C. de pactis inter emtorem & venditorem, l. si fundum, cuius legis verba hæc sunt: Si fundum parentes tuæ lege vendiderunt, ut siue ipsi, siue hæredes eorum, emtori precium, quandocumq; vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur, teq; parato

satisfacere conditioni dictæ, hæres emtoris non
paret ut contractis fides seruetur, actio præ-
scriptis verbis, vel ex vendito tibi datur. Et pla-
nior textus est ff. de cōtrahenda emtione & ven-
ditiōe. Qui fundum vendidit, ut cum certa mer-
cede ipse conductum habeat, vel si vendat, ut non
alteri, sed sibi vendat, ex vendito agere poterit.
Hæ leges & contractum hunc approbant, & em-
tionem esse testantur. Nam & emtionem nomi-
nant, & dant actionem ex vendito.

Vera est autem regula, quæ affirmat, iudicia
& leges forenses cum iure naturæ congruentes
Deo placere, ut suo loco de politica vita dicitur,
& verè pios illis ordinationibus uti posse, sicut
Ioseph Ægyptijs legibus in foro usus est, Daniel
Persicis. Præterea veram in his formis emtionem
esse, etiam ex his argumentis intelligi potest.

In omni mutuatiōe dans mutuo, retinet ius
repetendi quantum debetur.

In his formis emtor nequaquam potest repe-
tere pecuniam,

Est igitur vera emtio, ac necesse est dominium
aliquod vicissim in emtorē translatum
esse, cum manifestum sit, precij dominium
in venditorem translatum esse.

De tertia forma huius contractus.

Tertia forma huius contractus est, cum redi-
tus non constituitur in fundo certo, sed in toto cru-
mulo

culo bonorum alicuius, ut cum emuntur redditus
constituti in omnibus bonis alicuius Reipublicæ.

In hac forma hoc videtur aduersari emtioni,
quod non videtur esse merx certa, cum redditus
non constitutus sit in fundo certo, sed vniuersali-
ter in toto facultatum cumulo. Sed sciendum est
hic quoque verè mercem esse ius accipiendi redi-
tus, quod cum fundatum esse debeat in aliquo
corpore, corpus sunt omnia bona fructificantia
huius Reipublicæ. Nā in his omnib. simul cōstituit
tale ius potest, videlicet actus aut iter. Est q̄ ius
sicut admonitio Innocentiij, qui dicit: Videndū esse
in hoc contractu, ut redditus constituatur in re,
sive ad rem referatur, non ad personam vendentem
et addit Innocentius, talem contractum non
esse usurarium, cum in eo sint merx & precium,
et talia iura realia licitum sit vendere,

Nec alia difficultas in hac forma est, nisi
quod aliquantò obscurius est, quod dicitur, vni-
uersa bona habere rationem corporis, quum quod
supra dicebatur, certum fundum, in quo certi redi-
tus emuntur, habere rationē corporis, ut cum 20
medimni in agro certo emuntur, quo pereunte si-
mil perijt emtori ius suum. In hoc exemplo per-
icuitas est, sed tamen & totus cumulus bono-
rum potest se habere ut certum corpus, modo ut
venderetur pro proportione, & qui accipit redditum,
suscipiat periculum pro proportione. Recitemus

igitur rationes, quæ ostendunt, hunc contractum
 & emtionem esse, & concessum esse.

Prima: Pars aliqua certa potest onerari ser-
 uitate. Ergo & totus bonorum cumulus seruata
 proportione onerari potest, nec ratio dissimilitu-
 dinis apparet.

*Secunda ratio sumitur ex proprietate emtio-
 nis.* Emtio est contractus, quo res, quo ad do-
 minium transfertur, pro certo precio, nec ha-
 bet emtor ius aut tempus vllum reperendi
 precium. Si enim repetere pecuniam liceret, mu-
 tuatio esset non emtio. Ac in nostro casu precium
 ita transfertur, ut repetere non liceat. Est igitur
 vera emtio. Et ut si æqualitas, quæ fons est
 iustitiæ in contractibus, necesse est, vicissim in
 emtorem ius aliquod translatum esse. Hoc argu-
 mentum ex ipsa natura emtionis sumptum firmum
 esse iudico. Sed hæc controuersia magis perspicua
 erit, agitatæ contrarijs argumentis.

Contra C. plus valere quod agitur, quam quod
 simulatè concipitur, inquit lex, Emptione pignoris
 causa facta, non quod scriptum, sed quod gestum
 est, inspicias. In tertio casu sit emtio pignoris cau-
 sa, id est sit oppignoratio tantum, non emtio. Era-
 go prorsus est simulatus contractus. Minorem pro-
 bāt, Quia bona illa, in quibus emtio fingitur, sunt
 re ipsa tantum pignus, etiamsi nomen emtionis
 prætextus causæ additur. Imò instrumenta san-
 tentur, quod oppignorata sint omnia bona.

Respondeo ad minorem. Etsi hoc argumentum
 pressum est, ut sæpe fit, ut nomine huius contra-
 ctus abutantur homines, tamen minor neganda
 est, & constanter retinenda sententia, quod hic
 contractus sit vera emtio, non mutatio. Nam
 ille, qui dat mutuo, habet ius repetendi tantun-
 dem. In nostro autem casu emtor fundi aut redi-
 tus, non habet ius repetendi precij, & manent hic
 vere emtionis substantia. Merx est ius acci-
 pendi quodannis certum redditum. Hoc funda-
 tum est in omnibus bonis, sicut iter aut actus in
 uno agro fundatus est. Sicut autem ea servitus
 in agro constitui, vendi, donari alteri potest: Ita
 et ius certi redditus solvendi in omnibus bonis
 constitui potest, servata proportione, ut bona to-
 lerare eam servitutem possint. Hæc perspicua &
 vera sunt, si dextrè iudicetur.

Quod autem additur etiam oppignoratio, ne ^{occupatio}
 quidem facit emtionem vitiosam. Potest enim
 oppignoratio rectè accedere ad emtionem, ut te-
 stantur multæ sententiæ Jurisconsultorum.

Aliud contrarium: Ius debet esse in corpore
 certo, quo sublato ius sublatum intelligatur. In
 hoc tertio casu nullum certum corpus est, imo,
 etiamsi bona illa insigni damno affecta sunt, tamē
 exigitur pensio. Igitur tota res est simulatio.

Respondeo ad minorem: Est certum corpus,
 in quo fundatur ius illud, videlicet, omnia illa bo-

na. Sicut certus ager est, in quo seruitus constituta est. Sed quemadmodum amitterem actum aut iter in agri parte, quæ periisset alluione: ita si bona illa insigni damno affecta sint, seruanda est æqualitas, ut vicissim pro proportione aliquid remittat emtor.

In hanc sententiam inquit Baldus, se probare hunc contractum, si hæc æqualitas seruetur.

Aliud contrarium: Periculum rei vendite, pertinet ad emtorem. In hoc contractu tantum grauatur venditor, quia emtor exigit pensionem, etiamsi illa bona damno affecta sunt, aut perierunt, Ergo non est vera emtio.

Respondeo ad Minorem: Periculum pertinet ad emtorem, si insigne damnum illa bona acceperint, in quibus intelligimus ius fundatum esse, sicut perit actus aut iter, si ager perijt alluione.

Aliud contrarium: Leuitici 35. mandatur, ut fructus fundorum computentur in sortem, usq; ad annum quinquagesimum. Ergo & nos debemus fructus computare in sortem, cum emimus fundum cum pacto de reuendendo, & reddere fundos sine precio, &c.

Respondeo: Neganda est consequentia, quia politia Mosaica nihil ad nos pertinet. Hoc autem onus de reddendis fundis in Iubilæo, peculiaris ordinatio erat illius gentis sicut circumcisio. Voluit enim Deus conseruari familias, & discrimi-

na familiarum, ut sciri posset, in qua tribu Messias nasceretur. Voluit etiam auaris & prodigis frenos injicere. Auari minus emebant, quia redere fundos cogebantur. Prodigii difficilius inuebant emtores. Sed illam Mosaicam ordinationem nequaquam necessarium est transferri ad nostras Respublicas. Imo nos oportet obedire legibus sancitis in his imperijs, in quibus vivimus, ut Rom. 13. dicitur; Omnis anima potestati, quae praest, id est, suae potestati obediat.

*An ratione eius quod interest,
peti aliquid possit in mutuo
supra sortem?*

Respondeo, Interesse nominatur id quod debetur alicui, vel quia damno affectus est vel quia lucrum aliquod reuera propter illud officium impeditum est. Ideo distinguitur interesse, aut oritur propter damnum emergens, aut propter lucrum cessans, Exemplum: Si quis debuit mihi soluere viginti aureos Calendis Maij, & non soluit, si propter illam moram damno aliquo affectus sum, videlicet, quia tunc debebam alteri soluere, hic iustum est servari aequalitatem, cum priori accesserit lucrum ex meo, nec servetur aequalitas, si meae facultates exhauriantur, & alij interea ex meo beneficio

K s crescāt

crescant. Id interesse, nominatur interesse propter damnum emergens, &c.

Est & aliud discrimen necessario obseruandum: Aliud damnum accidit ante moram, hoc est, ante diem solutioni constitutum. Aliud damnum accidit post moram, id est, postquam debitor non soluit constituto die. Sit igitur prima responsio: Verum & non simulatum interesse, quod accidit mutuo danti, est, cum damnum emergens post moram accidit. Vt si quis debuit mihi viginti aureos soluere Calendis Maij, hoc quia non soluit, damno affectus sum, propter moram non soluentis mihi. Hic manifesta ratio equalitatis postulat compensationem.

In tali casu pronunciatulur ultra sortem deberi id, quod interest, propter damnum emergens, etiam si nulla accessit stipulatio de eo quod interest. Id consentaneum est, & scripto iuri & naturali equitati. Nam qui dat efficacem damni causam alteri, debet ei compensationem. Est igitur equalitas, ut soluatur quanti interest. In hoc casu perspicui potest, quod sit verum & non simulatum interesse, quod accidere potest mutuo danti, quod debetur, etiam si nulla accessit stipulatio. Manifestum est enim, ibi non seruari equalitatem, ubi lucri captatio fit ex mutatione.

De lucro cessante post moram, hoc est, cum debitor non soluit constituto die, pronunciant ad eundem

eundem modum, deberi id quod interest sicut iam de damno emergente diximus. Sed in hoc secundo casu tantum personis negociantibus hoc concedunt. Id non est absurdum, quia impedire curam negociationis, etiam est dare efficacem causam damni, de quo casu disputat Panormitanus in C. Cum questus, de Usuris.

Sed de damno emergente, & de lucro cessante ante moram in mutuo, Iura quidem non dant actionem, nisi quis stipulatus sit, ut solvatur id, quanti interest. Nunc igitur usitata est hæc stipulatio in mutuacione & sæpè honestum nomen interesse pretextus est rei nequaquam honestæ, scilicet usurarum, Hic igitur questio est, an hæc ipsa stipulatio iusta sit.

Cum autem interesse appellatio sit honestæ rei, ostendat actor vera & non simulata damna, qua propter hanc mutuacionem acciderint. Verum est enim & iustissimum, neminem alteri causam efficacem damni dare debere, siue ante moram siue post moram. Ut si petat aliquis dominus a mediocri patrefamilias mutuo 400. aureos, & hic non facile possit recusare, quo minus illi gratificetur, & tamen ipsi damna quædam accidunt, qua postea suis creditoribus solvere non potest. Hic iustissimum est huic patrefamilias fieri compensationem. In hoc exemplo perspicuum discrimen est, inter id quod interest, & usuras. Est igitur

igitur in talibus casibus licita stipulatio, cum quidem iure naturæ deberetur compensatio, etiam sine stipulatione. Nec obscura est dijudicatio, an verè affectus sit aliquis damno, aut an contulerit pecuniam in quæstum, ut minore periculo plus lucretur ex mutuatione, & tantum simulet querelas de damno.

Ex hac commonefactione aliquo modo indicari potest, quando stipulatio de eo quod interest, etiam ante moram inculpabilis sit, & quod sit discrimen eius quod interest, usurarum. Hæc enim tradimus, ut iuniores vocabula utcumq; intelligant, & ne temerè de contractibus pronuncient, sed in tanta varietate consulant eruditorum iudicia. Nequaquam autem patrocinaur usuris. Quia ut dictum est interesse honestæ rei appellatio est, & quærit æqualitatem. Sed in usuris lucrum captatur, ubi totum periculum est penes mutuo accipientem, imò cumulantur usura insigniter. Ac manifestum est totas gètes exhauriri, nulla æqualitatis ratione habita. Hæ rapina discernendæ sunt ab eo, quod interest & damnandæ, sicut scriptum est, Deut. 23. Non accipies usuras à fratre tuo, &c.

Hic autem accusandi sunt etiam, qui libenter mutuo sumunt. Nam in utroq; iniusticiam exercent, non student abstinere ab alieno, nec curant reddere, quantum sumserunt. Hæc defraudatio
etiam

etiam furti species est, comprehensa in prohibi-
tione. Theff. 4. ubi de æqualitate perspicue
incipitur: Non plus auferre in contractu, à fra-
tre, quia vindex est Dominus, iuxta illud. Vae
tibi spoliatus, quia spoliaberis. Ipse etiã qui mutuo
sunt, & qui spondent, memerint dicta Salomonis:
Tolle vestem eius, qui spondit pro alijs. Item
Delphicũ. Spondeto, noxa præsto est. Et hoc Ho-

mericũ: δειλα τοι δειλωρ η̄ ε̄νωοῡ ε̄νωοῡαδ̄.
*non sum spon-
sor spondens
et non h̄c.*

An licitus sit contractus societatis,
cum alter pecuniam, alter operas confert, & is,
qui pecuniam contulit, postulat lucri
partem saluo capitali?

Varie sunt societatis species, sed multa ex
his forma iudicari possunt, quam in questione
proposui. Approbant autem leges hunc contractum, in
quo alter confert pecuniam, & saluo capitali pe-
tunt lucri partem, alter operas confert.

Sic enim expressè inquit textus in institutio lib: 3. t. 6
de societate, his verbis: Nam & ita con-
trahitur societas non dubitatur, ut alter pecuni-
am conferat, alter non conferat, & tamen lu-
crum inter eos commune sit, quia sæpè opera ali-
cuius pro pecunia valet. Deinde & hoc adden-
tum est, non vitiat hunc contractum, etiamsi alter
maiorẽ lucri partem paciscatur. Sed hæc intel-
ligenda sunt de lucro, si deductus damnis reli-
quum

quum sit lucrum, ut si is, qui collocat operas, industria et fidem non adhibuit, quantum debuit, si postea reliquum est lucrum, licet alteri iuxta proportionem, maiorem lucri partem salvo capitali accipere. Sin autem præstitit ille diligentiam et fidem, quantam debuit et tamen nihil lucratus est, aut etiam damno affectus est, in hoc casu damna æqualiter sustinere debent, nec tantum plethi is, qui collocavit operas.

Sed hic agitur quæstio, an in societate liceat pacisci, aut nihil sustineat damni is, qui pecuniam confert et habet saluum capitale, etiam alter nihil lucratus est. Hic contractus usitatus est apud mercatores. Videtur autem re ipsa mutuatio esse, non societas, ubi hæc pactio est, ut sit saluum capitale. Nam ad naturam societatis pertinet damnorum exæquatio, et talem societatem in qua alter nihil periculi vult sustinere, clare improbat l. in ff. pro socio, ubi Cassius inquit, Leoninam societatem esse, ubi alter tantum lucra, alter tantum damna sentit. Iam si est mutuatio, dans mutuo, etiam lucra non petat, cum damna expectari nolit.

Cæterum, quæ de mutuatione, et de eo, quod interest supra diximus, meminerint studiosi. Hæc enim breuiter recitavi tantum eo, ut in tanta varietate contractuum diligentia ad iudicandum adhibeatur, nec imperiti temerè pronuncient.

Verum

Virum Sacerdotes sint vsurarij;
aut vsufructuarij in rediti-
bus Ecclesiarum?

Vetus quaestio est: An Sacerdotibus liceat
habere proprium, cum scriptum sit: Non habent *Matth. 10.*
us in Zonis. Deinde quale ius in rebus
Ecclesiarum habeant. Alij contendunt, Sacerdos
non tantum habere vsu, alij defendunt, etiam
vsufructu eos habere pensionum Ecclesiasticarum.

Est autem vsus ius, quo licet possidenti pro se *Acto 199.*
et familia uti rebus seu fructibus, ita, ut reli-
quorum fructuum proprietatem non conse-
quatur. Quare non potest eos vendere, aut in testa-
mento ad alios transferre, ut cum vsus praeser-
tina alicui conceditur.

Sed vsufructus est ius, quo licet uti rebus seu *199. qd. 1.*
fructibus ita, ut reliquorum fructuum propria-
tem possessor consequatur, sed fundi propieta-
tem non habet.

Cum igitur Sacerdotes interdum vendant re-
liquos fructus, aut donent alijs, aut in testamen-
to transferant ad alios, motae sunt quaestiones, re-
tine id fieri possit, cum bona Ecclesiae sint elec-
mosynae. In eleemosynis autem videatur tantum
vsus constitui, quia parca eis utendum est, ut ius
persiat

persint reliqui fructus ad necessitatem aliorum egentium.

Et extat constitutio in Decretis x. quest. ij. quæ vetat Episcopos & Diaconos alienare reliquos fructus, videlicet, quia inuandi sint alij egentes. Sed omitto veteres constitutiones, quæ suis temporibus causas habuerunt probabiles. Nam alia forma est in politica gubernatione facultatum & reddituum, &c.

1 pars.

Sit autem hæc prima conclusio. Sine alia dubitatione verum est, pastores & ministros Ecclesiarum posse tenere proprium, sicut possunt esse coniuges & patres, ac diuersum sentire, pro suis infamia est, sicut sæpè fanatici homines, Vniclesi & alij, & recens Anabaptistæ de hac questione tumultuati sunt. Manifesta est autem confirmatio conclusionis ex regula verissima, quæ affirmat omnibus Christianis licere vti legitimis ordinationibus politicis, & quidem agnoscere debemus diuinitus institutas & approbatas esse, sicut Salomon inquit: *Libra & statera iudicia Domini sunt.* Et dictum Christi nominatim tribuit proprietatem docentibus: *Dignus est operarius mercede.* Fit autem, merces propria eius, cui soluitur merces.

Extant acta Bohemorum in Sinodo Basiliensi, vbi inter cæteras quæstiones, et hanc agitatum esse scribitur: *An Sacerdotibus liceat habere pro,*

proprium. Sed verissimum est, deberi ministris
 Evangelij honestas mercedes seu stipendia, & in
 hoc verissimè habent proprietatem seu dominium,
 quia politicæ ordinationes, congruentes cum iu-
 ramento naturæ sunt res bonæ, & diuinitus sanc-
 tæ in humana societate, & Christianis concessum
 est uti, imò debent Christiani tueri vincula
 societatis communis.

Quod verò dictum est: Non possideatis æs in
 & non baculum, non ita duriter accipiendū
 est, ut regula vniuersalis deleatur, quæ
 affirmat, omnibus licere uti politicis ordinatio-
 nibus. Sed prohibet dictum illud curam quæren-
 di mercedes & defensionem, ita ne sit præcipua.
 Et addit consolationem de victu & defensione,
 prohibens deserere ministerium, etiam cum desunt
 mercedes & defensio, quia Deo curæ erit, ut ali-
 ubi p̄ doctores & discipuli habeant hospitia,
 & defensionem. Sicut Eliæ, Danieli, Apostolis,
 præbuit hospitia, & eos seruauit, donec currici-
 um constitutū quisq; absolueret. Ac nos quidem
 loquimur de ministris Euangelij, & de docentium
 & discipulorum cæteribus, de quibus omnibus Pau-
 lus inquit: Quis militat suis stipendijs? Nihil
 dicimus de otiosis belluonibus, qui deuorant
 elemosynas Ecclesiæ, & simul eam trucidant.

Postquam autem de proprietate in mercede
 dictum est, sit perspicua altera conclusio: Mini-
 stri Euangelij reuera sunt usufructuarij, quia in
 mercede

II pars.

Concludit.

III pars.

L

mercede proprietatem habent, ut dictum est. Et
 verissimum dictum est: *Honestissime partum*
esse, quod fideli labore docendi partum est. Iam
 hic monendi erant omnes gubernatores & om-
 nes homines in Ecclesia, ut libenter conferant ad
 ministerij & studiorum doctrinae conseruationi.
 Ideo in Esaiâ scriptum est: *Reges erunt nutritio-*
res Ecclesiae, & reginae nutrices, id est, Respub. cu-
rabunt alii ministros Euangelij, & iuuari studia
doctrinae.

An res conductoris non soluentis aut
corrumpentis habitationem, sint locatori
tanquam pignus obligatae:

Locatio est personae vel rei ad vsum facta
concessio, pro pecunia numeranda, de qua conuo-
nit. Et cum sit duplex locatio, alia perpetua, alia
certi temporis, nos iam de certi temporis locatio-
ne dicemus. Omittimus etiam quaestionem de
contractu emphyteutico, an sit locatio, cum tamen
multum dissimilis sit iuri feudorum, & transfo-
rat utile dominium.

Pertinet autem ad bonos mores intelligere,
& seruare iura locationis, quia ut alias iusticia
est, pro rebus aut operis reddere aequalem comp-
ensationem: Ita pro hospitio reddenda est comp-
ensatio, eoq; magis, quia maior est familiaritas
inter hospites, quam alioqui inter ementes & ve-
ndentes

entes. Et ut sua cuiq; domus receptus est gra-
 tius & tutissimus, ut Xenophon inquit, & ^{lib: 7. pacta}
 verba Xenophontis à Iurisconsulio repetita sūt:
 ha cum hospes recipiatur in domum, simul mu-
 tua defensio promittitur, & multorum officiorū
 custodia. Ideo antiquitas certa religione iura
 hospitij coluit, & addidit ceremonias, dedit mu-
 tua signa, & in bellis parcebat hospes hospiti, ut ^{ihad: 6.}
 Glauco Diomedes apud Homerum. Et Deut. 10.
 scriptum est: Et vos amate peregrinum, quia &
 vobis fuistis aduenā in terra Aegypti. Et Petrus in ^{1 Pet: 17.}
 epistola: Hospitalitatem ne obliuiscimini. Per hanc
 enim quidam exceperunt Angelos, præter expec-
 tationem suam. Hinc & multæ sententiæ vete-
 rum scriptorum acceptæ à primis patribus legimus
 Ζεύς ἐπιτηδείων ἰκετάων τε ξείνων τε. Item
 Ἡρόδοτος ἐπ' ἀρκων ἄλλ' ἰσῶν περὶ ξὴ ποτε. Et immas-
 culos violantium iura hospitij, taxatur vitupera-
 tione Lastrigonum, Cyclopum, Lycaonis, Busirio-
 nis. Hac vetera dicta & exempla diligenter
 considerentur, quæ docent, peculiare opus esse ius-
 titiæ, non ledere hospites. Imo pro beneficio
 reddere beneficia.

Ac vtile est, omnibus hominibus familiaris-
 se notum esse discrimen contractuum ex naturæ
 differentiis ortū, videlicet contractus alios dici bonæ
 fidei, alios stricti iuris. Contractus bonæ fidei
 sunt in quib. aliqua non nuncupata lingua, tamen
 L. 2 propter

lib: 7. pacta
ihad: 6.

ihad: 6.

1 Pet: 17.

Ζεύς ἐπιτηδείων ἰκετάων τε ξείνων τε. Item
Ἡρόδοτος ἐπ' ἀρκων ἄλλ' ἰσῶν περὶ ξὴ ποτε. Et immas-
culos violantium iura hospitij, taxatur vitupera-
tione Lastrigonum, Cyclopum, Lycaonis, Busirio-
nis.

propter æqualitatem d. bentur. Vnde hæc honestissima forma verborum apud veteres usurpata est: Inter bonos benè agier, id est, præster homo honestus ea, quæ communis ratio iudicat æqualia esse. Et sunt contractus bonæ fidei, emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, societas, pignus, commodatum, & c.

Sed stricti iuris contractus dicuntur, in quibus tantum nuncupata lingua debentur, ut in mutuo, Quia dans mutuo, cum potuerit hoc officium omittere, nequaquam plus intelligitur vellet & debere recipere, quàm quantum dedit, & sicut pactus est.

Conclusio: Locatio, contractus est bonæ fidei, & ut æqualitas seruetur, conducent non corrumpat res locatas, nec defraudet locatorem. Ideo res conducentis inuectæ in domum locatam obligatæ sunt locatori tanquam pignus, & propter res corruptas. Verba textus in ff. hæc sunt lib. 29. in tit. ex quibus causis pignus vel hypotheca tacitè contrahitur, lege Pomponius, Pomponius scribit, non solum pro pensionibus, sed etiam si deteriores habitationem fecerit culpa sua. *gdu. hor* inquilinus, inuectæ & illatæ pignori erunt obligatæ. Et in C. tit. de locato & conducto, l. certum ris est, res illatas pignoris iure teneri.

Quare etiam cum alij creditores retineri petunt res eorum, qui ipsis debent, tamen locatori prius

res illatae in domum obligatae sunt. Præci-
 que enim ratio hospitij habenda est, quia domici-
 lii communicatio est, rei carissimæ usum conce-
 dere, ut supra dictum est: Sua cuiq; domus rece-
 ptus sit non violandus. Quæ verba ex 7. libro
 Xenophontis in Pædia Cyri à Iurisconsultis
 haec sunt. Neq; sanctior locus hominibus est
 neq; gratior, neq; magis proprius sua cuiq; domo.
 Verba hæc sunt: Οὐδὲ ὀσιώτερον χώριον οὐδὲ
 ἁγιώτερον, οὐδὲ ἡδίοτερον, οὐδὲ οικειότερον ὄσιον οὐδὲ
 ἁγίον ἢ τὸ ἴδιον.

An conductor integram mercedem
 debeat, relinquens rem locatam ante
 tempus constitutum?

Familiarissimè nota sit regula, æqualitatem
 esse fontem iusticiæ. Quia manifestum est, æqua-
 litate compensatione seruari homines. Nam si una
 res exauriretur, perire eam necesse esset. Et
 Deus hanc æqualitatem instituit, inquit: *Deut. 19.*
 Proximum sicut teipsum, ut agnoscamus &
 æqualem esse, non tyrannum, & velle ho-
 mines & Angelos non esse tyrannos, id est, non
 peribè alios opprimere, imo Angeli Deo placen-
 tes, quanquam eorum natura præstantior est,
 quam humana, tamen infra homines sese abijci-
 unt, quia nobis seruiunt, nostræ corpora, tecta, le-
 gibus, focos custodiunt. &c. Magis etiam abiecit
 se

psal: 117

se Filius Dei omnipotens, qui pro nobis mortem sustinuit. Hæc cōgruunt cū dicto: Deus qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra.

Cum igitur æqualitas in contractibus quaerenda sit, hic etiam consideretur æqualitas inter mercedem & fructum conducentis. Sitq; hæc prima responsio. Cum conducens relinquit rem locatam sine causa necessaria pertinente ad locatorem aut rem, debet integram mercedem, quia similis est defraudanti, qui præbet damnum locatori, cui domus aut fundus fit inutilis culpa conducentis. l. colonus ff. locati. Cum autem vrget necessaria causa ad cedendum, orta à re, vt cum perit domus incendio, aut cum grassari incipit lues, soluendum est pro proportione temporis l. habitatores, ff. locati vbi dicitur. Si causa timoris iusta non fuisset, deberi mercedem. Sin autem causa fuisset, cur periculum timeretur, non deberi mercedem, scilicet integram.

Rectene fecit Naboth, quod Regi petenti, ne vendere quidem vineam voluit, cum Reges etiam domini dicantur priuatarum facultatum?

Respondeo: Naboth iure diuino, quod erat illi populo traditum, sine vlla dubitatione retinere suam vineam potuit, nec licuit Regi cogere eum, vt vineam venderet. Manifesta confirmatio est.

iura diuina nō sunt violāda. *Distinctio dominio-
 nis & proprietatis est iuris diuini, iuxta illud: Non
 furtum facies. Ergo nequaquam licuit cuiquam
 alieno, siue Regi siue alijs cogere Naboth, vt fun-
 dus venderet, sicut nequaquam licet vlli Regi
 postulare alterius coniugem. Ac praesertim in
 Repub. Israel sanxerat Deus libertatem, & dis-
 tinxerat possessiones, & praecipit, ne ab vna tri-
 bu ad aliam fundi transferrentur, quia sciri vole-
 bat, ex qua stirpe Messiam nasci decreuerat. Fuit
 igitur & libertas & proprietates rerum in illa
 Repub. & iniustum erat ciuibus eripi priuatas
 facultates à Regibus.*

Quod vero obijcitur dictum in Samuele de iu-
 re regis: Hoc est ius regis, agros vestros tollet, &c.
 Respondeo: Hic locus non tollit praecipuum
 Decalogi: Non furtum facies, & Rex in illa gen-
 te, etiamsi libertatem restrinxit & Aristocratia,
 quae fuerat ante Saulem, fuerat multo mitior: ta-
 men legem à Deo traditam, & distinctionem fa-
 miliarum nequaquam abolere potuit. Tantum igitur
 illa comminatio in Samuele intelligenda est
 de stipendijs, id est, Reges tollent ex priuatis fa-
 cultatibus tantum, quantum ad legitima stipens-
 dia opus est. Id iniustum est, quia cum beneficium,
 scilicet communis defensio ad singulos pertineat,
 singuli etiam censerre debent. Imo singuli
 debemus defensionem alijs innocentibus, vbi
 possumus

possimus eis opem ferre, ut Prouerborum vicesimo quarto dicitur: Eripe eos, qui ducuntur ad mortem, &c. Et 1. Iohan. 3. Sicut ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere, &c. Item: Non nobis tantum, sed patriæ nascimur. Ut autem iustum est, stipendia pendere, sicut & Roman. 13. traditur: ita rursus hæc meta constituta est, quam recitat Baptista: Estote contenti stipendijs vestris, neminem concutiatis, neminem calumniemini. Nec sit infinita rapacitas, nec nomen stipendij prætexatur omnibus explanationibus.

Hæc est vera & simplicissima sententia in illa narratione Samuelis. Et pœna Achab ostendit iram Dei aduersus rapacitatem in hoc genere.

Hæc disputatio utilis est, quia pij discunt, se suas res tenere, volente & approbante Deo, cum Deus sanxerit distinctionem dominiorum. Discunt etiam Deo displicere immoderatas expilationes, & ad multas virtutes vera cognitio doctrinæ de ordine politico conducit. Bona mentes, considerantes sapientiam & voluntatem Dei in hac consociatione vitæ & neruis societatis agunt Deo gratias, & maiore reuerentia tueri societatem student, ac intelligunt Deo displicere dilacerationes, maior & iusticiæ amor ex hac consideratione oritur, &c.

Diximus autem antea de politia Mosaitica.
Nunc

Nunc generaliter de distinctione dominiorum in
 ceteris politicis dicemus: Præcepta naturalia &
 divina, quæ sunt naturalia, sunt communia toti
 generi humano. Ideo ubiq; valet præceptum,
 Non furtum facies, sicut præceptum, Non mœ-
 turberis. Et ubiq; subditi habent aliqua propria,
 et quanquam alicubi servitus est, tamen gradus
 sunt servitutis, & leges imperij Germanici mani-
 feste sanciunt rerum proprietatem, ut ostēdit suc-
 cessorio in hæreditatibus, tum in feudis, tū in alijs
 bonis, in quib. habemus dominiū directū & utile.

Sunt autem in subditorum bonis ordinata tri-
 buta, necessaria ad communem pacem, quæ, ut su-
 pra dictum est, iustum est, & petere & præstare.
 Sed sit mediocritas tolerabilis. Postea sciant om-
 nes Reges & Principes, se quoq; lege divina te-
 neri: Non furtum facies. Hæc lex metas circū-
 dat omnibus hominibus vniuersaliter in toto ge-
 nere humano. Quia sine vlla dubitatione Reges
 etiā subiecti sunt legi diuinæ, ut Psal. 81. Deus
 sedit in synagoga deorum, & Deos dijudicat. Et
 Esa. 7. Deus in iudiciū veniet cum principibus.
 Et Zach. 10. Super pastores iratus est furor meus.

Præterea Reges etiam subiecti sunt legibus
 positivis, ordinaria autoritate in regno latis. Quā-
 quam in his habent potestatem interpretationis:
 Ideo sæpè citatur lex Theodosij in C. quæ omni-
 bus nota esse debet: Digna vox maiestate regnã.

ris, legibus alligatum se principem profiteri. Adeo de autoritate iuris nostra pendet autoritas, & reuera maius imperio est submittere legibus principatum, Ideo enim scriptæ sunt leges, ut homines legibus, non incertis magistratum arbitrijs regantur. Postea additus magistratus, ut sit custos & executor legum seu vox legis & minister in iudicijs & in pœnis.

Sed multæ hyperbolæ leguntur ab assentatoribus malè detorta, ut est: Omnia sunt Regū, quod dictum, et si adeo vsitatum est, ut etiā obiectū sit Ambrosio, cedere tēplo nolenti, tamen prudenter intelligendum est. Nam eodem modo dicimus omnia esse Regū, sicut dicimus, omnia esse legum seu legem esse dominiam rerum, videlicet, non quod priuatam proprietatem vlli eripiat lex, sed multo magis, quod sit custos distributionis, quæ priuatum facta est. Et vltima successio in bonis desertis peruenit ad legem seu summū gubernatorem.

Cum extincti sint priuati Domini, lex, id est, summus gubernator facit aliam distributionem. Et Iurisconsulti modestè loquentes, dicunt: Quia sunt Regum, quod ad defensionem attinet. Quia sententia hoc ipsum vult, leges, iudicia & gubernatores, qui sunt executores legum, esse custodes factæ distributionis, & extinctis dominis habere summam autoritatem.

Hic vetus narratio de Imperatore Henrico 5^{to}

Lucia

Laugelburgensi, memoria mandanda est. Hic enim cum in Italiam iter faceret, & casu interrogasset de arce, cuius esset: quæ quanquam privata dominum habebat, tamen dicebatur Imperatoris esse, orta est disputatio in itinere de dicto: Omnia sunt Imperatoris. Et certatum est deposito equo, & permissa dijudicatio doctoribus, cum venissent Bononiam. Ibi cum pronunciarent doctores pro eo, qui defenderat arcem Imperatoris esse, quia omnia essent Imperatoris. Et alter amiserit equum ex pacto. Homines faceti assentationem deriserunt hoc ioco, dicentes: Alterum habere equum, alterum respondisse æquum.

Citatur & ex Augustino in Decretis, dist. 8. ^{3 articulo.}
Tolle iura Imperatorum, & quis audebit dicere, Hæc villa mea est? Et multa ibi intempestive dicuntur. Vnde ratiocinati sunt aliqui, iure diuino omnia communia esse. Sed iuniores monendi sunt, ut Augustini dicta dextrè intelligant: Iure humano hæc villa mea est, scilicet, quo ad immediati iudicis executionem, non quo ad principalem autoritatem, ut dici posset, à carnifice supplicio affici homicidam, non à Rege, & tamè gradus congruentes ordinati sunt. Ita Deus in hac natura distinctionem dominiorum ordinavit, & sua voce sanxit. Non furtum facies. Constituit autem Magistratus & iudices, ut huius sui ordinis defens

defensores essent. Certissimum est igitur distinctionem dominiorum iuris diuini esse, sed ordinatam per magistratus. Sicut poena homicidarum sine ulla dubitatione sunt iuris diuini, sed ordinata per magistratum. Haec sententia vera et perspicua est.

Ad extremum breuiter addo dictum: Datae Caesari quae sunt Caesaris. Non temere aut casu dictum est, Quae sunt Caesaris. Metas circumdat Regibus, cum ea dari iubet, quae sunt ipsorum, non omnia quae postulant, sed quae ipsis debita sunt. Significat igitur non omnia Regum esse, sed distincta esse dominia, ut satis dictum est, iuxta praeceptum: Non furtum facies.

In fine rursus admoneo studiosos, ut vulgare argumentum recte explicare discant.

Naturalia sunt immutabilia.

Communio rerum est naturalis.

Ergo est immutabilis.

Respondeo ad maiorem: Naturalia sunt immutabilia, scilicet, quae sunt praecepti. Voluit enim Deus manere notitias legis, quae sunt radij sapientiae diuinae in nobis, propter multas causas. Sed alia multa bona utilia fuerunt in natura, quorum mutatio poena est primi lapsus, ut bona valetudo fuit naturalis, quae nunc languescens est. Respondeo igitur ad minorem: Communio rerum est iuris naturalis, scilicet, non ut praeceptum,

rum, sed ut bonum utile, quod tunc erat possibile, sicut bona valetudo, & alia multa bona uti-
 lianatura integræ addita fuerunt, quæ postea
 remissa sunt. Sed noticias præceptorum manere
 Deus in mentibus hominum voluit.

ALIA QVÆSTIO.

Verane est regula: peccatum non dimittitur, nisi
 si ablatum restituatur?

PRIMUM respondeo planè & breuiter, Re-
 gulam sine vlla dubitatione veram esse, quod ita
 perspicue intelligi potest. Etsi Deus peccata gra-
 uia remittit, ad est, sine compensatione a nobis fa-
 cienda Deo, tamen vbi nulla est conuersio, ibi
 nulla fit remissio. Nam iurandum perspicue
 dicit: *Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed ut
 conuertatur & viuat, Necesse est autem in con-
 uersione deponi delicta contra conscientiam. Et
 de hoc ipso genere inquit Paulus: Qui furatus
 est, demceps non furetur, ut mœchus perseuerans
 in scelere, non accipit remissionem peccatorum.*

Hæc firmissima & manifestissima sunt. Ita
 retinens rem alienam contra conscientiam, cum
 quidem reddere posset perseuerat in delicto. Non
 igitur accipit remissionem, sed verè dolens de ad-
 missa scelere, & restituens, aut serio volens resti-
 tuere, & credens, sibi remitti peccata à Deo, ve-
 ri accipit remissionem peccatorum. Et talis resti-

tutio